

medium accensum mitteretur conceptumque ipso motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat nudumque militem ad insequentes ictus praebebat. Cum diu anceps 9 fuisset certamen et Saguntinis quia praeter spem resisterent creuissent animi, Poenus quia non uicisset pro uicto esset, clamorem repente oppidani tollunt hostemque in ruinas 2 muri expellunt, inde impeditum trepidantemque exturbant, postremo fustum fugatumque in castra redigunt.

Interim ab Roma legatos uenisse nuntiatum est ; quibus 3 obuiam ad mare missi ab Hannibale qui dicerent nec tuto eos adituros inter tot tam effrenatarum gentium arma nec Hannibali in tanto discrimine rerum operae esse legationes audire. Apparebat non admissos protinus Carthaginem 4 ituros. Litteras igitur nuntiosque ad principes factionis Barcinae praemittit ut praepararent suorum animos ne quid pars altera gratificari populo Romano posset.

Itaque, praeterquam quod admissi auditique sunt, ea 10 quoque uana atque inrita legatio fuit. Hanno unus ad- 2 uersus senatum causam foederis magno silentio propter auctoritatem suam, non cum adsensu audientium egit, per 3 deos foederum arbitros ac testes obtestans ne Romanum